



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. XI. Vtrùm Ecclesiastici specialiter, aut etiam ex iustitia obligentur
superflua pauperibus erogare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

D V B I V M XI.

Vitam Ecclesiastici specialiter, aut etiam ex iustitia obligentur superflua pauperibus erogare?

171 Dices Primò, Si deberem Petro decem millia aureorum, & caprus à latronibus deberem his tantum dare, vel occidi, possem illa dare, etsi per hoc fierem omnino in perpetuum impotens soluere Petro: ergo similiter poterò ei tantum surripere, si hoc similiter sit necessarium ad salvandam meam vitam.

Minor requiritur causa ut debita non solvam, quam ut aliena surripiam.

Lessius.
Sotus.
Caietan.
Lorca.

Respondeo negando consequentiam: quia longè facilius occurrit iusta causa non soluendi debita, quam surripiendi rem alienam; nam qui non potest soluere debita, nisi priuando se re quia extremè indiget, ad hoc non tenetur, etsi creditore ea etiam extremè indigeat: quod verum, etsi res esset in specie debita siue aliena, v.g. commodato accepta aut furto ablata; nullo tamen modo potest quis eiusmodi rem accipere ab eo qui ea extremè indiget, ut cum alijs docet Lessius de Iustitia cap. 16. dub. 1. nu. 13. & Sotus lib. 4. de Iustitia q. 7. a. 1. & Caietan. 2. 2. q. 62. art. 5. §. In responsione ad 4. Lorca tamen hic disp. 38. n. 11. putat eum, qui rem in specie alienam possidet, siue iuste, siue iniuste eam acceperit, teneri eam restituere domino extremè ea indigenti, quantumvis ipse eadem extremè indigeat; quia cum alter semper maneat illius rei dominus, ipse semper retinet ius eam sibi vendicandi, & illa quodammodo violenter manet apud possessorem. Sed probabilius est talem possessorem eo casu non teneri rem illam restituere; ut cum alijs docet Lessius supra: quia in extrema necessitate cessant hac ex parte rerum dominia, & omnia sunt communia: quare melior est conditio possidentis, atque ita tunc illa res desinit apud hunc violenter esse, & dominus perdit ius eam sibi vendicandi. meritò tamen omnes excipiunt eam, quo possessor rem illam à domino iniuste accipiendo hunc in extremam necessitatem coniecisset: tunc enim etiam cum certo vitæ periculo tenetur eam redde-
dere. vide Lessium supra.

172 Dices Secundò, Adultera potest permittere ut filius spurcius educetur ab infcio marito magnis sumptibus, & maximam hereditatē tamquam legitimus adeat, quando hoc est necessarium ut vitam aut famam tueatur: ergo ob similem necessitatem poterit tantumdem alteri surripere. Respondeo, negando consequentiam; quia longè facilius habes iustam causam permittendi aliquod damnum, etiam si tua culpa ei dedisti causam, quam id inferendi; quia iudicet quories est necessarium ad conseruandum bonum superioris ordinis: non tamen hoc hinc si tua culpa ortum sit incendium, non teneris id extinguere cum certo vitæ periculo; non potes tamen alienam domum incendere, quantumvis hoc sit necessarium ut certam mortem euadas, ut si latrones omnino vellent te occidere, nisi illud faceres.

Ut euadas mortem licet non extinguas incendium tua culpa ortū, illicite tamen id excitas.

173 Vt hæc clariùs tractentur, Notandum cum Nauarro q. 1. de Reditibus Ecclesiast. mo-
nito 19. Ecclesiasticos beneficiatos posse habere triplicia bona. Primò, patrimonialia, inter quæ computantur etiam ea quæ donatione aut sua industria eadem ratione ac si essent laici acquisierunt. Secundò, quasi patrimonialia, quæ ipsi quidem acquirunt ut clerici, v.g. celebrando, confessiones audiendo, &c. nō tamen ex vilo beneficio; inter quæ etiam computantur ea, quæ quandoque quibudam personis Ecclesiasticis assignantur, præcisè ad eorum sustentationem. Tertiò, sunt ea, quæ ipsi percipiunt ex redditibus sui beneficij. His Caietan. 2. 2. q. 185. art. 7. §. Ad secundam. in fine, addit Quartum genus, scilicet dominium aliquarum ciuitatum, quarum Episcopus quæ talis est princeps. ut contingit in multis Episcopis Germaniæ, qui sunt absoluti principes in sua diocesi, ita ut eis incumbat curare ea quæ pacis & belli sunt, non minus quam alijs Imperij principibus.

Nota Secundò, ex duplici capite posse videri nasci maiorem obligationem dandi eleemosynam in Ecclesiastico quam in seculari. Primò, ratione status ipsius. Sicut enim hic requirit in eo maiorem perfectionem, quam requiratur in laico; ita videtur requirere in eo maiorem caritatem erga pauperes. Secundò, ratione ipsorum bonorum, quæ ipse possidet: & ex hac parte constat inter Doctores, Ecclesiasticos ratione bonorum primi & secundi generis, non aliter teneri dare eleemosynas, quam teneantur alij merè seculares: quia illi dicta bona eodem modo possident, atque hi sua.

Lorca verò 2. 2. se. 3. disp. 40. n. 3. cui etiam fauet Caietan. supra, putat eandem omnino cum his esse rationem bonorum quarti generis; atque ita Episcopum ex ijs non aliter obligari ad eleemosynam, quam obligetur princeps secularis. Quia ea bona sunt eis data, tum ad ampliandam Ecclesiæ maiestatem, quæ multum apud seculares per huiusmodi dignitates augeatur: tum etiam ut bonum publicum suæ provincie curent, ac etiam armis quando opus est defendant, non minus quam seculares principes. Ideoque possunt etiam in hunc finem congregare thesaurum quantum necessarium iudicant, & statum suæ dignitati conuenientem habere; quia hoc requirit bonum ipsius reipublicæ, cui præfunt. Quare his rebus primò debent prouidere, & solum ex superfluo succurrere pauperibus.

Quæ posteriora vera quidem sunt, & ea sola videtur intendere Caietan. supra; tamen inde non sequitur, eorum bonorum esse absolutè eandem rationem, ac bonorum primi & secundi generis, aut Episcopum posse ijs uti eodem modo ac princeps omnino secularis potest uti suis. Sed solum sequitur, tam Episcopum quam alium.

aliū principem eodem modo teneri ex his bonis primò consulere bono ac dignitati suæ reipublicæ, & huic finit tantum impendere, quantum necessarium est. Quod autem his superest, id princeps Ecclesiasticus non potest eodem modo impendere ac princeps secularis, sed planè simili ratione atque alij clerici tenentur impendere bonatertij generis suæ sustentationi superflua. Quod vel inde patet, quia princeps secularis ex huiusmodi bonis superfluis licitè dicit suos amicos, & si ea in sumptuosa conuiuia aliæve res non necessarias profundat, modò idè non nimium negligat pauperes, non faciliè idè grauius peccat. Secus omnino videtur dicendum de Episcopis, in quibus talia grauius reprehensibilia sunt, vt magis infra patebit.

177 Præcipua igitur hîc quæstio versatur circa bona tertij generis. Circa quæ difficultas est Primò, vtrum Ecclesiastici ea quæ ex his bonis habent honestæ suæ sustentationi superflua, teneantur ex iustitia dare pauperibus? Secundò, vtrum saltem singularem habeant obligationem ea in pauperes aliæve causas pias expendendi? Tertiò, quo iure ad hoc teneantur?

178
Quæ spectat
ad honestam
clerici sustentationem.

Pro harum autem explicatione notant Auctores Primò, decentem clericis sustentationem non consistere in indiuisibili, sed habere quandam latitudinem, vt dub. 7. etiam dixi de secularibus. vnde is cui quingenta absolutè sunt necessaria, ita vt sine ijs nequeat decetè secundum suum statum viuere, poterit sine notabili excessu expendere sexcenta. Ex quo nascitur quarta difficultas, vtrum scilicet quo clericus est nobilior aut etiam doctior, eo plus possit insumere in sua sustentatione? Et Quintò, vtrum aliquando ad statum clericis spectet, præcipue quando sit Episcopus, eleuare suos parentes pauperes ad altiore statum? Item Sextò, vtrum, si clericus aliquid subtrahat honestæ sustentationi, quod sine peccato poterat in eam insumere, possit id eodem modo expendere, atque alia bona patrimonialia?

179 Notant Secundò, ex canone *De redditibus*, 12. q. 2. alijsque multis eodem titulo, o lim initio Ecclesiæ singulos clericos non habuisse proprios redditus: sed omnes clericos vnius Ecclesiæ habuisse bona communia, quæ erant bona ipsius Ecclesiæ; & diuidebantur in quatuor partes: quarum vna dabatur Episcopo pro sua sustentatione; secunda impendebatur pro sustentatione fabricæ, alijsque Ecclesiæ impensis; tertia dabatur pauperibus; quarta diuidebatur singulis clericis prout vnicuique erat opus. Postea tamen ob multas difficultates quæ hinc oriuntur, erecta sunt beneficia, & singulis assignati sunt proprii redditus. & tota difficultas est circa eos qui eiusmodi bona iam possident.

180 Circa primam igitur difficultatem propositam num. 177. aliqui putant Ecclesiasticos non esse verè dominos illius superflui. hinc si aliquis Canonicus ex suo beneficio recipiat, v.g. 400. aureos, & 200. ei sufficiant ad honestam sustentationem; aiunt cum reliquorum ducentorum non fieri dominum, sed solùm dispensatorem, atque ad eò ex iustitia teneri eos expen-

dere in opera pia, eosque restituere, si eos aliter impenderit. Ita Nauarrus libro de Redibus Ecclesiæ. quem ferè totum in hac quæstione insumit. Alenſis 3. p. q. 36. art. 2. nu. 5. Henricus Abſ. quodlib. 8. q. 7. & quidam alij, quos citat Nauarrus suprà tractatu 2. monito 7. vbi docet esse communem Iuristarum sententiam.

Probant Primò, quia multi canones dicunt bona Ecclesiæ non esse sacerdotum, sed pauperum, illosque solùm esse eorum dispensatores. c. Res Ecclesiæ. c. Nulli. c. Si priuatum. 12. q. 8. c. Fraternitatem, de donationibus.

Secundò, quia Ecclesiastici iure communi prohibentur testari ex huiusmodi fructibus. c. Episcopi. c. Manifesta. c. Sint manifesta. 12. q. 1. c. Quorundam. c. Adhuc, de testamentis. ergo hoc tenet est signum eos non esse horum bonorum dominos.

Tertiò, quia quæcumque Ecclesiastici ex redditibus Ecclesiæ emunt, secundum ius commune non sibi sed Ecclesiæ acquirunt, vt habetur c. Quorundam. 12. q. 3. & c. Sacerdotes. 12. q. 4. ergo non sunt istorum bonorum domini.

Quartò, quia D. Bernardus epist. 2. ad Fulconem, circa finem ait: Denique quidquid prater necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario Bernardus retinet, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

Quintò, quia illi, qui tantas diuitias Ecclesiasticis dederunt, illas non dederunt vt hos ditarent (hoc enim fuisset imprudenter factum) sed vt hi sibi superflua pauperibus distribuere: ergo ipsi ad hoc ex iustitia tenentur.

Sextò, quia ante erectionem beneficiorum quarta pars bonorum Ecclesiæ debebatur pauperibus: atqui hæc videtur passim permitti ipsis beneficijs: ergo beneficiarij tenentur quartam partem suorum reddituum dare pauperibus.

Circa quartam difficultatem (nam in 2. & 3. auctores ferè conueniunt) Lorca 2. 2. scd. 3. disp. 40. nu. 39. absolutè negat clericos ratione maioris doctrinæ aut nobilitatis posse plus ex redditibus Ecclesiasticis in sua sustentatione insumere. Primò, quia omnes clerici debent esse eruditi, iuxta exigentiam sui status. Secundò, quia status clericalis est status humilitatis: ergo secularis nobilitas in clericis debet submitti clericali humilitati, non autem hæc trahi ad seculari fastum. Tertiò, quia beneficia non sunt instituta, vt secularis nobilitas & pompa foueantur, sed vt ministrorum Ecclesiæ honor pro dignitate officij conseruetur.

Circa quintam difficultatem Auctores communiter concedunt, clericos ex eiusmodi bonis posse dare suis consanguineis pauperibus tantum, quanto indigent ne egeant; sine ita vt non modò naturam, sed etiam statum suum decenter sustinere possint, si ipsi per se ad id sufficientia acquirere nequeant. Item quando clericus natus ex parentibus vilis conditionis, vt qui quotidiano labore debebant sibi victum comparare, ad honestum Ecclesiasticum statum aut dignitatem euahitur, ipsum ex huiusmodi bonis posse suos parentes eleuare ad statum paulò honestiorem: ita vt inter cives aliquo modo honestos computari possint; quia hoc ad hono-

honorem & decentem clericis sustentationem pertinet; cui communiter visio dabitur, si suos parentes in ea paupertate permittat degere. vide Tabienam v. *Restitutio*. §. 19. Molinam tractatu 2. de Iustitia disp. 146. Toleium libr. 8. Summæ c. 38. Lorcam supra n. 42.

Tabiena.
Molina.
Toletus.
Lorca.
183

Sed difficultas est, utrum ijs liceat elevare suos consanguineos ad statum nobilium, instituendo pro ijs maiorem aut similia. Lorca supra videtur id absolute negare. Alij verò id concedunt fieri posse, modo non fiat ex ijs bonis,

Lorca.

Qua ratione
clerici possint
suos consanguineos
elevare.

quæ ipse in usus pauperum tenetur expendere. Item modo id fiat sine scandalo, quod nascetur quando alij putarent eos ditare suos ex bonis quæ tenetur pauperibus distribuere; at hoc sufficienter vitatur, quando palam constat eos sufficienter pro qualitate sui beneficii in pauperes expendere. Ita Molina supra citans alteram Molinam, Maiorem in 4. dist. 24. qu. 6. Navarrum in Apologia qu. 1. monito 30. & 78. & Sorum lib. 10. de Iustitia q. 4. art. 3. Sed aliqui ex his auctoribus id non dicunt aperte. Et hæc sententiam puto veriorē, quia posito quod illi tantum in pias causas expendant quantum in eas tenentur expendere: nulla est ratio cur ex alijs bonis non possint suos consanguineos locupletare. Quamvis enim hoc sit minus perfectum, ac vanitatem nimiamque erga res huius mundi affectum sapiat, ideoque minus deceat personam Ecclesiasticam, quæ deberet illa contemnere, tamen nullo iure est ijs absolute prohibetur. Nec his obstat Tridentinum sess. 25. c. 1. de reformat. prohibens ne clerici suos consanguineos ditent ex redditibus sui beneficii; quia hoc intelligendum est de ijs, quæ tenentur pauperibus distribuere. Confirmatur, quia cur ipsi non possint ex bonis sui beneficii ditare amicos, sola hæc videtur esse ratio, quod ea teneantur expendere in pios usus; ergo bona, quæ non tenentur ita expendere, possunt dare suis consanguineis.

Molina.
Maior.
Navar.
Sorum.

Trident.

184

Ex quibus patet, clericum non posse suos ita ditare ex bonis beneficii honestæ suæ sustentationi superfluis; quia hæc tenetur absolute in pias causas expendere, ut infra dicemus. Quare ut videamus ex quibus bonis sine gravi saltem peccato possit suos ita ditare, primò resolvenda est sexta difficultas; scilicet utrum clericus ijs bonis, quæ honestæ suæ sustentationi subtrahit, minus ex suis redditibus expendendo quam decenter posset expendere, possit uti tamquam patrimonialibus, & consequenter ex ijs ita suos amicos ditare. Lorca supra nu. 43. id negat. Primò, quia D. Thomas 2. 2. q. 185. ait clericum non peccare sibi subtrahendo ex ijs, quæ suo usui sunt deputata, eaque dando consanguineis, modo id faciat moderatè, ne egeant, non autem ut ditiores fiant. Secundò, quia etiam illa bona sunt sacra: ergo non licet ea convertere in usum profanum, qualis est ita ditare consanguineos.

Lorca.
D. Thom.

185

CONCLUSIO I. Verius omnino est clericos seculares iam esse verè dominos omnium fructuum suorum beneficiorum. Ita Soto lib. 10. de Iustitia q. 4. 2. 3. concl. 3. Driedo lib. 2. de Libert. Christiana cap. 4. Covarr. in c. Cum in officiis. de

Soto.
Driedo.
Covarr.

testamentis, n. 3. Sarmiento de Reditib. Ecclesiast. Sarmient. p. 2. cap. 1. & 2. Lessius de Iustitia cap. 4. dub. 6. Lessius. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 40. n. 23. Molina tractatu 2. de Iustitia disp. 143. & 144. Caietanus 2. 2. qu. 185. a. 7. Idem ibidem tenere D. Thomam pulchre docet Molina supra.

Probatur Primò, quia id aperte insinuant, vel potius docent Bonifacius VIII. cap. vnico de clericis non residentibus. & Tridentinum sess. 22. c. 3. de reformat. ubi statuunt ut clerici qui non interfunt divinis officiis, amittant distributiones; & quantumvis eas receperint, tamen non acquirant earum dominium, nec faciant eas suas, sed teneantur eas restituere. Et sess. 23. c. 1. de reformat. statuit ut Episcopi alijque beneficiarii, qui ultra tempus sibi concessum illegitimè à sua Ecclesia absunt, pro rata temporis absentiae non faciant fructus suos. Quibus locis aperte supponitur, illos qui legitimè resident, ac divinis officiis interfunt, facere fructus suos, ac eorum dominium acquirere.

Bonif. 8.

Trident.

186

Respondent aliqui ibi solum sumi argumentum à contrario sensu, quod sæpè fallit, & præsertim quando aliquod aliud ius contrarium statuit, ut fit in presenti casu.

Sed hi aperte falluntur; nam, ut ostendam infra, nec ullum est Ius, quo contrarium insinuat, nec hoc argumentum est à contrario sensu, sed à privatione ad habitum: ex eo enim quod tam Pontifex, quam Conciliū eos, qui vel à sua Ecclesia vel ab eius officio illegitimè absunt, privant dominio fructuum sui beneficii, bene inferimus ipsos aliàs illorum dominium acquirere fuisse; alioquin eo privari non possent, sicut privari nequit qui eius est incapax; & ridiculè in penam alicuius peccati quis privaretur ea hereditate, quam quantumvis innocens nunquam fuisset aditus.

His adde, Tridentinum sess. 24. c. 12. de reformat. cum statuisset ne beneficiarii in cathedralibus Ecclesijs ultra tres menses à suis Ecclesijs abessent, subdere: Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbende ac residentie fecit suos. Vbi aperte docet, residentes fructus perceptos facere suos, siue eorum dominium acquirere.

187

Trident.

Probatur Secundò, quia si Ecclesia sentiret tales non fieri dominos fructuum, sed esse meros dispensatores, deberet non solum non insinuare contrarium, sed illud aperte asserere, præsertim cum clare videat beneficiarios sibi contrarium persuadere. Item deberet rescindere omnes donationes ac contractus non cedentes in usus pios, quæ palam vider quotidie fieri: atqui Ecclesia nec illud ullibi expressit (ut patebit ex solutione argumentorum) nec eiusmodi contractus aut donationes rescindit: ergo sentit clericos eiusmodi fructuum esse verè dominos, ac validè, et sic licitè, eos in usus non pios expendere.

Ad primum argumentum positum nu. 179. Respondeo ea loca non loqui de illa portione reddituum, quæ singulis ad sui sustentationem aut iam absolute assignata est, aut olim per Episcopum suis temporibus, prout quisque indigebat, dabatur (nulli enim Ius insinuat clericos,

188

ricos, aut iam non esse, aut etiam olim non fuisse, dominos illius portionis unicuique priuatim assignatae, aut per Episcopum distributae) sed agere de massa communi reddituum, quae Episcopo eiusque officialibus in vsu num. 178. recensitos distribuenda committebatur. Quare solum dicunt illos huius massae non esse dominos, sed solum dispensatores. quod nihil contra nos facit. Imò c. *Fraternitatem*, loquitur non de ipsis redditibus, sed de fundis Ecclesiae alijsue bonis immobilibus: quae negat per Episcopum in detrimentum Ecclesiae alienari posse, ut patet aperte ex textu. Haec enim possunt in Ecclesiae utilitatem aut detrimentum meliorari aut deteriorari, non autem fructus iam percepti, qui possunt quidem expendi in Ecclesiae utilitatem, non autem meliorari. Caput verò *Conuenior*, nullo modo loquitur de bonis Ecclesiae, sed de ipsa Ecclesia.

189 Ad secundum, nego consequentiam: inde enim solum sequitur, Ecclesiasticos habere illud dominium aliqua ex parte iure positum impeditum; quod etiam iam magna ex parte praesertim in clericis non Episcopis vsu contrario abolutum est.

Ad tertium, nego consequentiam ob rationem iam allatam; praesertim cum iam videamus aperte contrarium vsu esse receptum: nam beneficiati bona sic empta passim ad suos heredes transmittunt, nisi viuentes saltem testamento aliud de ijs statuerint: nec Ecclesia ea vllibi repetit. quod est apertum signum ipsos ea sibi comparare: atque ita hinc etiam confirmatur nostra conclusio.

Respondeo Secundo, ea iura aperte loqui de ijs, quibus erat commissae cura & distributio communium bonorum, & de emptione ex horum redditibus facta, ut patet ex c. *Sacerdotes*, citato. Quare merito eiusmodi bona Ecclesiae adiudicantur, ut quae ipsius pecunia empta sunt.

Ad quartum, Respondeo S. Bernardum hoc dicere ea ratione, qua Patres communiter dicunt omnia superflua diuitum esse bona pauperum: ut ostendi supra n. 82.

190 Ad quintum, Respondeo Primo, hoc totum posse consistere cum eo quod clerici sint veri domini istorum reddituum; nam si quis daret mihi agrum cum ea conditione ut quartam partem fructuum darem pauperibus, ego quidem fierem dominus omnium fructuum agri, & tamen ex iustitia obligarer quartam partem dare pauperibus.

Respondeo Secundo, nego consequentiam. Quia etsi fuerit ea intentio donantium, ipsi tamen pro sua in Ecclesiam reuerentia noluerunt Ecclesiasticis eiusmodi obligationem imponere, aut sua bona solum dare cum tali conditione: nam haec ratio ostendissent se eorum probitati diffidere: sed confidentes clericos hac in re facturos quod ratio postularer, absolute sine vlla eiusmodi conditione sua bona Ecclesiae tradiderunt.

Hoc tamen argumentum bene probat, Ecclesiasticos iure naturae singulariter obligari eiusmodi bona suae honestae sustentationi superflua in pias causas expendere: nam qui aliter facit fundatores grauiter decipit, & eorum pietate & li-

beralitate male abutitur. Sicut qui in Vniuersitatibus fruuntur buris, siue annuis redditibus institutis ut possint pauperes in studiis alijs, qui postea reipublice prosunt; singulariter tenentur diligenter studere, ne si totum tempus otio terant, fundatorum piam intentionem omnino defraudent; contra tamen facientes non tenentur ad restitutionem.

Ad sextum, Respondeo Primo, minor esse valde incertam: nam facile fieri potuit, ut ea pars fuerit ratione nobis ignota pauperibus attributa, aut forte solius Episcopi portioni permixta. Respondeo Secundo, nego consequentiam: quia illa quarta pars non erat ex iustitia debita pauperibus, sed solum ex Ecclesiae praepro: nam alia sequeretur, quod etiam ij qui non habent redditus suae honestae sustentationi superfluos, tenerentur quartam eorum partem dare pauperibus, praesertim si aliuide haberent unde viverent. Item quod ea bona necessarii deberent dari pauperibus, nec possent in alia pia opera expendi, quae aperte falsa sunt.

CONCLUSIO II. Ecclesiastici singulariter iure naturae & positio obligantur eiusmodi bona suae decenti sustentationi superflua in pias causas expendere: adeo ut mortaliter peccet, si notabilem summam in res profanas expendant. Est communis Doctorum, quos supra pro utraque sententia citauimus.

De iure naturae probatur Primo, ex dictis n. 190. ubi ostendi contra facientes grauiter decipere fundatores eorum intentionem fraudando. Secundo, quia, sicut eorum status maiorem ab ijs requirit perfectionem, ita etiam requirit maiorem erga pauperes misericordiam, praesertim cum ratione eorum bonorum, quae tam pia fundatorum intentione tam largiter ijs sunt donata, & eorum quasi fidei commissae, sint singulariter patres pauperum constituti.

De iure Ecclesiastico idem patet, cum ex pluribus canonibus id praecipientibus, tum maxime ex Tridentino sess. 25. cap. 1. de reform. ubi Trident. grauissimis verbis iuxta Apostolorum, ut ait, canones prohibet ne beneficiarij, & praesertim Episcopi, suos consanguineos ex redditibus Ecclesiae ditent, aut hos in vltos profanos vsus expendant. Vide plura apud Lessium de Iustitia *Lesium*, cap. 4. n. 47.

Ex quibus patet, hanc maiorem clericorum obligationem dandi eleemosynas ex huiusmodi bonis in duobus consistere. Primo, quod si non dando eleemosynam in ijs casibus, in quibus etiam laici tenentur eam dare, ipsi multo grauius peccet, & longe facilius mortaliter, ob maiorem & specialiore suam obligationem. Secundo, & quidem praecipue, quod laici non peccent mortaliter expendendo notabile summam in res profanas alijs non illicitas, modo ideo non omittant dare eleemosynas vllis grauiter indigentibus, & moderate etiam dent communiter indigentibus: secus est de clericis respectu eorum bonorum quae ex beneficiis decenti suae sustentationi superflua recipiunt. nam peccant mortaliter, si etiam in dicto casu notabilem ex iis summam in vsus profanos expendant: ut communiter Auctores ex Tridentino alijque iuribus colli-

Quando dicatur clericus notabiliter summam expendisse in vltim profanum.

194 CONCLUSIO III. Probabilius est, Ecclesiasticum valde nobilem aut magnam literaturam ceteris paribus posse plus alijs minus nobilibus minisque doctis in sua sustentatione infumere.

Molina.

Innoc. III.

Ita Molina de Iustitia tract. 2. disp. 145. Colligitur aperte ex c. De multa. de prabendis. vbi Innocentius III. cum Concilio Lateranensi statuit cum personis sublimibus siue valde nobilibus, aut literatis, siue notabiliter doctis posse dispensari in obtinendis pluribus beneficiis, eo quod tales personae maioribus beneficiis honorandae sint. vbi aperte docet, tales ceteris paribus plus alijs posse in sua sustentatione infumere, alias frustra darentur ijs plura aut maiora beneficia. Ratio est, quia tales ratione suae dignitatis ac aestimationis, quam ob nobilitatem aut doctrinam obtinent, ceteris paribus plus alijs Ecclesiae profunt, eius dignitatem augendo, eamque auctoritate & consilio tuendo: qui autem plus Ecclesiae prodest, maiorem ab ea sustentationem meretur: vt dicitur 1. Timoth. 5. vers. 17. vbi dicitur: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore* (id est stipendio) *digni habeantur.*

195

Ex quibus patet, haec intelligenda esse de iis, qui valde notabiliter alios eadem secum praebendas obtinentes nobilitate aut eruditione superant. Alias enim nequeunt notabiliter Ecclesiae praestare prodesse; debet autem hic excessus sustentationis esse moderatus, ita vt non excedat decentem Ecclesiasticorum modestiam. Quare filij regum aut principum non possunt tantum ex suis beneficiis in sua sustentatione infumere, quantum possent infumere ex bonis secularibus, si ea illis aequalia haberent; quia alia sustentatio decet principem secularem, alia Ecclesiasticum. Item haec ita intelligenda sunt, modo tales ideo non negligant graues pauperum necessitates, aut debitam fabricae sustentationem ac ornatum, quando ad haec procuranda tenentur aliquid ex suis praebendis dare, siue quando fabrica ad suam sustentationem & decentem ornatum sufficientia aliunde non habet. grauis enim est culpa, Deoq; ac hominibus detestabilis, si Ecclesiastici neglectis Ecclesiae fabrica ac ornatu ex eius bonis splendide viuunt. vide Molinam supra & Bellarminum lib. 2. de Gemitu columbae, cap. 5. sub finem. vbi grauitur in eos inuehitur, qui munditiam & ornatum rerum sacrarum negligunt.

Grauitur peccant clericorum Ecclesiae negligentes.

Molina. Bellarm.

196

Ex his facile est respondere ad argumenta contraria posita n. 181. Ad primum, Respondeo non omnes clericos debere esse, aut etiam de facto esse eminentis doctrinae; quales sunt ijs, de quibus loquimur.

Ad secundum, Respondeo hinc tantum sequi, filios principum non debere tanto splendore ex bonis Ecclesiae viuere ac si essent principes seculares; quod supra etiam monuimus.

Ad tertium, Respondeo etiam ad honorem & dignitatem Ecclesiae, & ad congruentem ministeriorum ipsius sustentationem pertinere, vt personae eminentes ex eius redditibus aliquanto splendidius viuunt, vt supra ostendi. His adde, etiam in hunc finem plurimas pinguioribus praebendas a principibus esse institutas, vt illustres ac eminentes personae possent in statu Ecclesiastico pro sua dignitate tractari. vnde etiam saepe non nisi tales ad eas possunt admitti. ex quibus etiam nostra conclusio confirmatur.

CONCLUSIO IV. Si clericus non tantum infumat in sua sustentatione, quantum licite posset infumere, parcius viuendo quam alij suae conditionis ac bonae conscientiae clerici viuunt, potest ijs quae sibi ita subtrahit, eodem modo vt, sicut bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus. Ita Molina, Maior, Sotus, Nauarrus, citati n. 183. & Lessius de Iustitia c. 4. dub. 6. n. 39.

Probatur Primò, quia haec bona habent rationem stipendij, quod clerico inferuenti ipsi Ecclesiae debetur, & consequenter computanda sunt inter ea bona, quae clericus suo labore ac industria acquirit. Secundò, quia clericus absolute non tenetur dicta impendere in pias causas, (quia alias non posset ea infumere in suam sustentationem non omnino necessariam;) ergo potest ea eodem modo expendere, quo patrimonialia; quia nulla potest esse ratio hoc negandi, quam quia tenetur ea in causas pias expendere; ad quod, vt iam ostendi, non tenetur.

Ex quibus patet, clericum saltem sine graui peccato ex eiusmodi bonis posse suos confanguineos ditare, & ad statum altiore prouehere, iuxta dicta n. 182. Quod tamen cum Molina ibidem citato intellige, modò non adfint graues pauperum necessitates, quibus ex iis bonis teneatur succurrere, nec alias etiam negligat communibus pauperum necessitatibus succurrere; & omne scandalum absit, iuxta ibidem dicta.

Ad primum argumentum Lorcae positum n. 183. Respondeo D. Thomam loqui de bonis honestae sustentationi superfluis; nam etiam haec eo ipso quo ex ipsius beneficio percipiuntur, eius vsui deputata sunt. Aut si loquatur etiam de ijs quae clericus posset honeste suae sustentationi infumere, dicendum ideo ipsum infinuare clericum peccare ex his ditando confanguineos; quia, vt ostendi n. 183, hoc communiter parum conuenienter fit, & cum peccato veniali, aut etiam quandoque cum mortali propter scandalum.

Ad secundum, nego antecedens propriè loquendo: nam etsi fundi ex quibus illi redditus percipiuntur, dici possint res sacra, quia Deo dicati sunt, tamen ipsi fructus non sunt tales: nam alias non possent vèdi secularibus, qui eos in vsus profanos conuertunt. Item etsi ea pars reddituum, quae honeste clerici sustentationi lupere est, possit aliqua ratione dici res sacra, quatenus debet impendi in causas pias; secus tamen est de parte ipsius sustentationi debita, vt iam ostendi.

197

Molina.

Maior.

Sotus.

Nauarr.

Lessius.

198

Molina.

199

ostendi; nisi alia ratione probetur eam debere ita impendi.

200 Nota demum, dicta supra conclusi. intelligenda esse de beneficiis non Religiosis: nam Religiosi professi assumpti ad aliquod beneficium siue regulare, siue seculare, nullum acquirunt fructuum ex eo perceptorum dominium, quia huius sunt incapaces; solumque habent ius illos fructus in honestam suam sustentationem, & qui huic supersunt, in usus alios pios dispensandi: & consequenter peccant contra iustitiam eos in usus profanos expendendo, prout omnes fatentur de clericis Episcopo inferioribus.

Sed est aliqua difficultas de eiusmodi Religiosis factis Episcopis: nam Sotus lib. 10. de Iustitia, quaest. ult. art. ult. cum quibusdam alijs putat tales omnino absolui voto paupertatis, & fieri capaces dominij.

c. Statutu. Probant id Primò, quia cap. Statutum. 18. quaest. 1. dicitur Religiosum factum Episcopum habere potestatem tamquam legitimum heredem vendicandi sibi paternam hereditatem: quod dici nequit nisi eius acquirat dominium, aliàs eam non sibi sed suo episcopatu acquireret, & hic, non autem ipse, esset heres. Nec refert quòd ibidem dicatur ipsum ea bona debere relinquere ipsi altari cui intitularus est: quia inde solum sequitur, ipsum non posse de ijs bonis testari, quo cum optimè consistit ipsum esse dominum illorum bonorum.

Secundò, quia, etsi cum voto paupertatis & carentia dominij possit consistere ius dispensandi aliqua bona temporaneum, quod arbitrio Superioris possit auferri, quale est in Superioribus Religionis alicuius; secus tamen est de eiusmodi iure perpetuo, quale habet Episcopus, cui hoc ius sine graui valde causa nequit inuito auferri.

Tertiò, quia nisi ipse sit dominus fructuum sui beneficii, dici nequit apud quem maneat illud dominium: ergo dicendum ipsum esse verè dominum illorum.

201 Sed communis Theologorum sententia est contraria, scilicet talem manere obstrictum voto paupertatis, & incapacem propriè dicti dominij eiusmodi bonorum temporalium.

D. Thomas. Ita D. Thom. 2. 2. quaest. 185. art. 8. Caietan. ibid. in fine ante, solut. argument. & tomo 1. opusc.

Caietan. tractat. 15. quaest. 2. Nauarrus in Apologia contra Sarmiento quaest. 1. monito 11. Siluester v.

Nauarr. Religio. 6. quaest. 10. Couarr. in cap. 1. de testamentis, numer. 18. Bonauent. in 4. dist. 38. art. 2.

Siluester. quaest. 3. ad ultim. Lessius de Iustitia c. 41. dub.

Bonauent. 11. num. 92. Sarmiento 1. part. suae defensionis

mon. 11. num. 3.

Probatur, quia vota semel emissà perpetuò ligant, nisi ex legitima causa ac à legitima potestate in iis dispensetur: atqui cum votum paupertatis possit ab Episcopo seruari, non minus quàm ab Abbatibus quibus committitur administratio bonorum abbatiæ, aut ab alijs Religiosis assumptis ad aliquod beneficium seculare inferioris episcopatu (quod saltem dispensante Pontifice fieri posse, ac tales manere obli-

garos paupertatis voto omnes fatentur;) nulla hic potest occurrere necessitas, & consequenter nec iusta causa in eo dispensandi. Item, nullum apparet argumentum ex quo colligamus cum tali esse dispensatum, ut patebit ex solutione obiectorum: ergo dicendum est ipsum adhuc eo voto obligari.

Dicunt aliqui, votum paupertatis solum emitti in Religione, & pro eo statui, atque ita perse definire obligare, quando quis ad aliam dignitatem extra Religionem assumitur. Sed hoc nullo modo dici potest. Primò, quia votum paupertatis eodem modo emittitur sicut votum castitatis, & ut patet ex dictis, non minus quàm hoc potest ab Episcopo seruari: atqui certum est votum castitatis non minus obligare post assumptionem ad episcopatum quàm antè (aliàs Religiosus professus qui ante susceptos Ordines sacros assumeretur ad episcopatum, liberaretur à voto castitatis, & valde duceret uxorem: idemque esset de monacho sacerdote, si lege Ecclesiastica non esset sacerdotali statui annexa continentia, quæ aperte absurda sunt;) ergo similiter votum paupertatis non minus obligat iam factum Episcopum, quàm antea. Secundò, quia eadem hæc parte est ratio Religiosi assumpti ad episcopatum, & assumpti ad aliud beneficium seculare; quia uterque aequaliter viuunt extra Religionem, præferunt si collatio beneficii non possit sine causa de nouo emergente renouari: atque uterque aequaliter legibus Religionis obligatur, aut non obligatur, nisi cum alterutro aliquo iure positivo dispensetur, quod hic nullum potest adferri, ut infra ostendam: atqui Religiosus si dispensante Pontifice aut alia ratione assumatur ad beneficium episcopatu inferiori, pergit obligari voto paupertatis: ergo etiam factus Episcopus.

Probatur conclus. Secundò, quia, ut cum alijs docet Vasquez opusculo de Reditib. Eccles. cap. 3. dub. 1. Religiosus factus Episcopus tenetur ferre habitum sui Ordinis, aliæque statuta obseruare, quantum per statum Episcopalem commodè potest: ergo multò magis simili modo tenetur suis votis.

Tertiò, quia id apertè insinuat cap. Statutum. 19. quaest. 1. ut ostendam in responsione ad primum.

Ad primum argumentum contrarium, Respondeo in illo capitulo dici Religiosum habere potestatem vendicandi sibi hereditatem paternam, non pro se, sed pro sua Ecclesia, & ut huic acquirat eius dominium. Patet hoc Primò, ex c. Non liceat. 19. q. 3. ubi dicitur, non licere parentibus filios factos monachos à paternam aut maternam hereditatem repellere; ne scilicet hanc adeant, cum tamen hi eam non sibi, sed monasterio acquirant, & hereditatem nemo adeat nisi velut heres: & eadem ratione qua quis eam ita adit, eam sibi vendicat. Secundò, & clarius ex l. Deo 1. Deo nobis. 56. §. Hoc etiam. C. de Episcopis & clericis. bis. Vbi decernitur ne parentes liberos factos monachos priuent sua legitima. & subditur: Sin verò vltimam voluntatem parentes neque testamento, neque alio vltimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem

omnem parentum substantiam heredes, quibus ab intestato competit, secundum leges nostras sibi defendant (quod idem omnino est ac sibi vindicent) nullo impedimento ex sanctimoniali conuersione generato: siue soli, siue cum aliis ad successionem vocantur. Ex quibus aperte patet, ex eo quod ius dicat monachum siue in monasterio degentem siue factum Episcopum tanquam heredem posse succedere parentibus, aut hereditatem parentum adire, sibiq; defendere aut vendicare, nullo modo sequi, ipsum illius fieri dominum, ac sibi non autem monasterio aut Ecclesie sue acquirere; cum omnino certum sit monachum existentem in monasterio nihil sibi, sed soli monasterio acquirere.

205 Patet id clarissimè Tertiò, ex eodem ipso e. Statutum. contra nos citato: ubi in fine monacho facto Episcopo dicitur: *Sed quidquid acquisierat, vel visus fuerat habere, (scilicet antequam fieret Episcopus) monasterio relinquat, & Abbatis eius qui fuerat, secundum regulam S. Benedicti arbitrio.* Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur & intulatur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. Vbi non solum (vt aduersarij volunt) prohibetur tali Episcopo de eiusmodi bonis testari: sed aperte iubetur ea secundum sacros canones suo altari, siue Ecclesie restituere. quò verbo aperte significatur ea bona non fuisse ipsius, sed eorum solum fuisse administratorem & dispensatorem; nam etsi nostra possumus Ecclesie relinquere, non tamen restituere, nisi ea quæ sunt Ecclesie. Confirm. quia sicut ea, quæ visus fuerat habere, ante episcopatum iubetur relinquere monasterio, ita quæ postea acquirit iubetur restituere Ecclesie sue: atqui illa relinquit monasterio non sua dando, sed quæ monasterio erant ei reddendo: ergo similiter hæc restituit suæ Ecclesie. Confirm. Secundo, quia nulla ratio aut æquitas postulat, talem obligari vt bona à parentibus, & nulla ratione ex beneficio sibi obuentientia relinquat Ecclesie sue; nec possit de his aut testamento aut alia ratione disponere, saltem in causas pias dando ea priori suo monasterio, nisi quia ea non sibi, sed suæ Ecclesie acquirit: atqui in illo capitulo aperte dicitur, ipsum bona acquisita post episcopatum non posse dare illi monasterio, sed teneri restituere suæ Ecclesie: ergo hæc non sunt ipsius, sed Ecclesie.

206 Ad secundum, nego assumptum; quia ius administrandi bona sui beneficii quod habent Abbates, præsertim abbatiarum quæ non reguntur capitulariter, siue per capitula generalia, est perpetuum, nec sine graui valde causa potest hoc ius inuitis auferri: & tamen ipsi nullo modo sunt domini illorum bonorum, sed meri dispensatores.

Dices, eiusmodi Abbatum ius solo iure humano esse perpetuum, ius autem Episcoporum esse perpetuum iure diuino, ideoque non esse paritatem. Respondeo hoc nihil facere ad rem; nam si, vt in argumento sumitur, ius perpetuum dispensandi bona sui beneficii nequeat consistere cum voto paupertatis & incapacitate dominij, ius humanum non poterit efficere: vt

Coninck de act. super nat.

in eodem simul reperiantur.

Ad tertium, Respondeo ipsam Ecclesiam cuius ipse est Episcopus, esse dominam illorum fructuum, sicut est domina fundorum, ex quibus percipiuntur: & sicut monasterium habet dominium non tantum fundorum, sed etiam fructuum ex iis perceptorum, quamdiu non alienantur: & quidem etiam eorum qui in quibusdam locis assignati sunt mensæ Abbatis, quos hic suo arbitrio in causas pias potest dispensare.

D V B I V M XII.

Utrum possimus dare eleemosynam ex iniuste acquisitis?

207 Pro huius dubij explicatione notant Doctores, bona iniuste siue iniquè acquisita posse esse triplicia. Primum enim quedam acquiruntur cum iniuria domini, ita vt restitutioni sint obnoxia. vt accidit in furto, rapina, vsura, & ex his non potest fieri eleemosyna, quories aut in specie sunt aliena siue restituenda, aut obligatus restituere dando eleemosynam, fieret impotens restituere; quia tunc eleemosyna fieret cum iniuria alterius. Excipe casum extremæ necessitatis, in quo, vt dixi supra, etiam licitè aliena rapimus, vt per illa possumus laboranti succurrere, quando hoc aliter fieri nequit.

208 Secundò, quedam ita acquiruntur, vt danti quidem non fiat iniuria, tamen eorum tam datio quam acceptio est iniqua. vt quando emittur res spiritualis: nam pro hac tam dare quam accipere pretium, iniquum est: quia hac ratione ipsa res spiritualis æstimatur aliquo pretio, quæ supra omne pretium est: atque ita ipsi sit quedam iniuria, vel potius ipsi Deo rei spiritualis auctori ac domino.

Tertiò, quedam iniquè acquiruntur, quia opus propter quod dantur est malum, ipsa tamen acceptio secundum se mala non est. qualia sunt ea quæ à meretricibus acquiruntur. Et omnes communiter docent, ex his bonis fieri posse eleemosynas, cum ea possidens eorum sit absolutè dominus, sicut aliorum suorum bonorum.

209 Est autem difficultas Primò, circa bona secundæ generis: multi enim generatim docent, ita accepta esse restituenda, non ei qui dedit, sed vel Ecclesie vel pauperibus, atque ita talia necessariò esse infundenda in pios vsus. Alij volunt restituenda ipsi danti, saltem ante sententiam. Alij inter vtriusque simonias distinguunt. Quæ doctè disputat Lessius de Iustitia c. 36. dub. 28. 30. 31. quæ consulas, quia hæc res graues habet difficultates. ideoque paucis nequit explicari, & fusius de ea disputare non est huius loci.

210 Secundò, difficultas est in assignandis exemplis bonorum secundæ generis. Lorca enim 2. 2. sect. 3. disp. 38. nu. 2. & quidam alij computant inter hæc ea omnia quæ acquiruntur ex contractu vtraque ex parte iniusto, vt cum iudici datur pecunia pro sententia iniuste lata, aut testi vt iniustum testimonium ferat.

Bbb

Sed